ITLE: De Lucretii versibu
ansponendis : dissertatio
auguralis quam…

LACE: Gottingae

engiesser, Adolf.
De Lucretii versibus transponendis: dissertatio inaugura
.. / tradidit Adolphus Kannengiesser.
ngae : Guilelmus Ludwig, 1878.
; 21 cm.

icretius Carus, Titus. I. Title.


lage: Latin.
ides bibliographical references.


29292655

Technical Microfilm Data

Microfilmed by
Preservation Resources
Bethlehem, PA

On behalf of
The Classics Library
University of Illinois at Urbana-Champaign



1.0 mm ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz1234567890

1.5 mm ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz1234567890

2.0 mm ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz
1234567890

DE
LUCRETII VERSIBUS TRANSPONENDIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

TRADIDIT

ADOLPHUS KANNENGIESSER
HANNOVERANUS.

GOTTINGAE,
GUILELMUS LUDWIG.
MDCCCLXXVIII.

Typis expressit E. A. Huth, Gottingae.

AVUNCULO CARISSIMO

CONSILIARIO RERUM MEDICARUM

A. G. WOLLRING

VERDENSI.

Permagnum numerum carminis Lucretiani versuum partim scribarum errore partim primi editoris neglegentia falso loco traditum esse, non est quod moneam. Illius generis mendorum certe maxima pars cum ante Lachmannum et Bernaysium tum horum eximia opera sublata est; huius autem generis menda illi permulta corrigenda reliquerunt.

Nam ars critica in Lucretii carmine facienda propterea in summa difficultate est, quod tam varia eius menda et vitia sunt; neque enim solum textus qui dicitur scribarum neglegentia et interpolatorum vel interpolatoris industria admodum corruptus est, sed etiam carmen a Lucretio ipso imperfectum neque satis ordinatum relictum est. Itaque saepissime fit, ut, etiam si quem locum sanum non esse cognitum sit, dubitari tamen possit, cuinam generi id mendum tribuendum et quanam medendi ratione utendum sit. Sed cum varia exstare menda, quae a prima editione vel ab imperfecta carminis condicione repetenda sint, cum alii tum Susemihlus et Briegerus satis certis argumentis et satis multis exemplis comprobaverint: si nexus sententiarum sanus non esse neque satis facili emendatione sanari posse videtur, maxime de versibus transponendis aut extra carminis continuitatem scriptis, secundo demum loco de interpolationibus cogitari non solum licet sed necessarium est.

Atque iam permultis locis homines docti transponendo Lucretii carmen in meliorem condicionem redegerunt. Sic — ut earum quae post editionem Bernaysianam factae vel propositae sint transpositionum nonnullas tantum afferam, quae quam maxime certae videantur — Bergkius vv. II, 1170 [1])—1173

---

[1]) Numeris utor Bernaysianis.

post v. 1167[1]) et V, 170 et 171 post 176[2]) collocandos esse recte exposuit. Non minus probo, quod Hoerschelmannus[3]) et Bockemuellerus vv. II, 456—463 post 477 collocarunt; idem Hoerchelmannus[4]) vv. II, 165—183 ante v. 141 locum suum habere recte vidit. Sturenburgus[5]) et Bockemuellerus vv. I, 205—207 post 214, idem Bockemuellerus praeterea vv. III, 472 et 473 post 461[6]), IV, 322—361 post 266[7]), IV, 365 post 367[8]), VI, 1131—1135 post 1117[9]) collocavit recte. Lotzio quoque assentiendum est, quod vv. IV, 895—903 cum v. 888 coniungendos esse dicit[10]). Praetera non dubito, qnin v. II, 644 post v. 661[11]) et II, 817—825 post 794[12]) collocandos esse recte iudicaverit Briegerus. Denique Susemihlus vv. II, 973—990 post 930[13]) et [III, 910—916] post 928[14]) recte posuit.

Sed cum nonnulli homines docti in transponendis versibus minus caute egerint, innumerabilis paene numerus est versuum, quorum transpositio proposita sit. Quos si omnes tractarem, non solum huiuscemodi commentationis fines longe excederem, sed etiam de multis verba facienda essent, quae accuratius tractare operae pretium omnino non est. Itaque praeter eas quas transpositiones ipse proponam nonnullos

---

[1]) Annales philol. vol. 67, pag. 319. cf. Pollium Philol. 26, 327.

[2]) annal. philol. 67, 324; idem iudicarunt Goebelius obss. pag. 44 et Munro, iam antea Lambinus.

[3]) obss. pag. 28; assensus est Brigerus, Bursians Jahresberichte 1876, II, 167.

[4]) obss. pag. 15 assentiente Briegero l. c. pag. 184, qui ibi quoque uncis opus esse monuit.

[5]) Acta soc. philol. Lips. II, 389 assentiente Brigero l. c. pag. 167.

[6]) assensus est Brigerus l. c. 168.

[7]) " " " " "

[8]) " " " " 169.

[9]) " " " " 170.

[10]) Philol. VII, pag. 726 cf. Susemihlum; Philol. 33, 443 adn.

[11]) Philol. 25, 67 cf. Hoerschelm. obss. pag. 21.

[12]) v. Philol. 25, 69 seqq.

[13]) Philol. 25, 74 seqq.

[14]) Philol. 27, 55.

tantum locos tractare liceat, quibus homines docti non recte videantur transposuisse.

His praemonitis iam ad singulos locos accedamus carminis ipsius ordinem secuti.

I, 50—61; 136—148.

De libri I. prooemio homines docti diversissimas sententias protulerunt. Ab una parte extrema stat Bockemuellerus; qui non solum vv. 102—135, quippe qui in prooemio ad Memmium misso locum non habeant et scripti sint, quo tempore Lucretius cum Memmio familiaritatem nondum inierit, a continuitate carminis seiungendos esse putat, sed etiam eius, quod ad Memmium missum sit, prooemii unam partem (vv. 50—61) transponendam esse censet. Medias partes tenent Jessenius (Jahresbericht der Kieler Gelehrtenschule 1872, pag. 20 seqq.), Briegerus (Philol. 23, 456 seqq.), Stuerenburgus (Acta soc. phil. Lipsiens. 1874, II, 373 seqq..): qui in omnibus prooemii partibus componendis poetam ante oculos habuisse Memmium, nonnullas autem non satis apte carminis continuitati inseri posse aut transponendas esse censent. Ab altera denique parte extrema stat Vahlenius (Monatsberichte der Berliner Acad. 1877, pag. 479 seqq.), qui omnes prooemii partes suo ordine nobis traditas omnesque ex uno eodemque poetae consilio fluxisse evincere studuit.

Eam certe Bockemuelleri opinionem, qua vv. 102—135 ex carminis continuitate tollendos esse putat, accuratius a me refutari opus non est, cum maximam partem ex falsa eius de totius carminis condicione sententia nata sit (cf. Brieger. Bursians Jahresberichte 1876, II, 162). Omnes autem difficultates positae sunt cum in Memmii appellatione desiderata tum in vv. 50—61 et 136—145 collocandis. Quibus de rebus Vahlenium multa illum quidem recte ad Briegeri et Stuerenburgi sententias refutandas attulisse puto; sed nescio an interpretatione sua interdum eas quae illis offensioni fuerunt res excusaverit magis quam omnino offensionis causas non esse probaverit.

Ut primum ad vv. 136—145 me convertam, si Briegerus a v. 135 statim ad v. 146 progrediendum esse unumquemque semel admonitum videre putat, si Stuerenburgus eos parenthesis quasi loco inter vv. 135 et 146 interpositos esse dicit, Vahlenius autem eos aptissime ubi traditi sunt collocatos esse censet: vereor, ne res ad id redire videatur, de quo disputandum non esse iam veteres dixerunt. Vahlenius recte ille quidem exposuit hos vv., quibus Lucretius de difficultatibus doctrinae suae sermone latino illustrandae conqueritur, quam aptissime in fine prooemii collocari. Sed post hos vv. poetam apte ad ea quae antecedunt reverti versibus 146—148 vix cuiquam persuadebit; atque ipsi concedendum est v. 146 particulam „igitur" alio modo usurpatam esse atque ceteris locis, quibus eidem tres vv. inveniuntur. Nonne potius exspectaveris Lucretium, postquam affirmavit se quemvis laborem libenter sufferre, ut Memmii menti clara lumina praepanderet, statim ad doctrinam ipsam accessurum et Memmio clara lumina praepandendi initium facturum esse? Itaque versum 145 excipere debet v. 149. Verbum autem cuius (v. 149) ad totam versuum 143—145 sententiam referendum videtur; quod si quis minus apte fieri putet, nihil obstat, quominus id ad carmen (v. 143) referat.

Nunc si quaerimus, quid faciendum sit versibus 146—148: cum eis coniungendi sunt, quibuscum arctissime eos cohaerere Briegerus et Stuerenburgus monuerunt. Etiam ante v. 136 aptissime collocantur; naturae enim species et ratio, ex quibus Lucretii doctrina composita est, e Graiorum obscuris repertis constant. Necessarios quidem vv. 146—148 inter v. 135 et v. 136 non esse libenter concedo; itaque si quis eos a Lucretio hoc loco non scriptos, sed ab interpolatore e libro II. (59—61) vel III. (91—93) vel VI. (39—41) iteratos et ad vv. 144 et 145 margini adscriptos esse dicet, non habebo, quo ejus sententiam refutem, nisi quod versimile non videtur esse Lucretium non statim in carminis initio hoc totius doctrinae principium cemmemoraturum fuisse.

Transeo ad vv. 50—61, quos Bockemuellerus post v. 145 collocat, Briegerus et Stuerenburgus extra carminis continui-

tatem scriptos esse censent. Ac primum quidem Vahlenius, quam arcte cum eis quae aetecedunt cohaereant, recte demonstravit. Tres sunt condiciones, quas expleri poeta necessarium esse putat, ut carmen suum eam quam ipse vult utilitatem et fructum Memmio ferre possit: primum ut carmen Veneris auxilio pulchrum et lepidum fiat (vv. 1—28); deinde ut neque ipse in componendo neque amicus in legendo carmine rebus externis impediantur (29—43); denique ut Memmius attentum animum ad doctrinam suam adhibere velit (50—53). Nihil igitur usque ad versum 61 desideratur nisi Memmii appellatio, quam in versu 50 restituendam esse Vahlenius recte indicavit. Ac Bernaysii conjectura, qui pro codicum lectione:

quod superest ut vacuas auris

scribit:

quod superest vacuas auris animumque sagacem

satis certis argumentis refutata Lachmannum secutus est, qui conjecerat:

quod superest vacuas auris animumque age Memmi.

Cogitari etiam potest scribendum esse:

quod superest, Memmi, vacuas auris animumque;

verbum enim age numquam apud Lucretium invenitur nisi in formula nunc age cf. I. 265, 921; II. 62, 333, 730; III. 417; IV. 108, 175, 267, 671, 720; VI. 495, 535, 738 et semel in verbo agedum III, 960; et quod in codd. ante vacuas legitur ut indicare videtur non solum post vacuas sed etiam ante hoc vocabulum corruptelam quaerendam esse.

Nunc si ad alteram huiusce disputationis partem nos convertimus, quomodo vv. 50—61 cum eis quae sequuntur cohereant: Briegerus in eo quidem non recte videtur offendisse, quod trium partium, quibus poeta Memmium adhortatur (50—61, 80—101, 102—135), prima haec verbis ducitur quod superest et intercedentibus vv. 62—79 a reliquis duabus seiuncta est. Eae enim, ut ita dicam, adhortationes diversissimae sunt. Illa, qua poeta postulat, ut Memmius attento animo ad doctrinam suam audiendam accedat, iam

locum habet, antequam, quaenam et qualis esset haec doctrina, significavit i. e. ante vv. 61—79. Hae contra, quibus opiniones praeiudicatas et superstitiones, quae vulgo doctrinae suae infestae sint, amovere studet, intelligi omnino non possunt, nisi iam paucis, qualis esset doctrina, indicatum est. Re vera autem offendendum est in vv. 54—61, qui cum universi carminis summam — nihil aliud in vv. 54 et 55 init. quaerendum videtur — breviter indicant tum libri I. thematis propositionem cum accurata atomorum terminologia coniunctam continent. Talia autem ante accuratiorem argumenti paene totius propositionem, quae in vv. 127—135 inest, non apta esse neque omnino locum habere nisi ante ipsam libri I. argumentationem apparet. Ac si quis Lucretium nihil aliud versibus 54—61 efficere voluisse dicat, nisi ut doctrinam suam atomisticam esse significet: ad id efficiendum certe tam accurata primordiorum terminologia opus non erat. Et si Vahlenius pag. 493 n e c e s s a r i a m illam quidem non esse dicit, sed n o n i n u t i l e m, ut statim in initio carminis appareat, qualis sit ea doctrina, qua omnia ex rerum seminibus sine deorum auxilio fiant: cur Lucretius, si iam hoc loco efferre voluit, secundum suam doctrinam omnia sine deorum opera fieri — cur id non expressis verbis protulit? et quid ad hanc sententiam illustrandam conferunt vv. 58—61? Denique quod Vahlenius pag. 497 ad illustrandam eam rationem, qua Lucretius post vv. 54—61 novam etiam partem prooemii addat, III, 31—93 et IV, 43—95 comparat, monendum est prorsus contrariam ibi inveniri rationem, et id ipsum deesse, quod hic offensioni est. Ibi enim Lucretius, postquam (III, 1—30 et VI, 1—42) de Epicuri meritis ejusque doctrina in universum disseruit, res singulas illis libris tractandas proponit; hic contra, postquam ea iam proposuit, quae ad librum I. vel I. et II. potissimum pertinent, tum demum Epicuri laudes celebrat et de eius doctrina in universum verba facit.

Itaque ea, de qua Vahlenius in fine commentationis suae dixit sententia, accipienda mihi videtur: Lucretium postea addidisse vv. 62—148, olim statim post v. 61 ad ipsam doctrinam exponendam accessisse.

Restat, ut quaeramus, num nova pars (62—148) aliquo modo cum priore coniungi possit. Quod bene fieri posse puto. Vidimus omnem offensionem positam esse in vv. 54—61. His omissis omnia bene procedunt. Nam postquam a Memmio Lucretius petivit, ut animum ad veram rationem adhiberet, quaenam vera esset ratio et a quonam profecta, dicendum erat.

Quae cum ita sint, prooemium absolutum illud quidem esse sed partes eius diversis temporibus scriptas, et Lucretium, si ipse carmen edidisset, vv. 54—61 deleturum fuisse censeo.

I, 311—328.

V. 326, quem Briegerus Phil. 23, 464 aut extra carminis continuitatem scriptum aut aliquo modo transponendum esse dicit, Stuerenburgus l. c. pag. 391 rursus contra Briegeri suspicionem defendere studet, Neumannus denique (De interpoll. Lucretianis, Halis 1875, pag. 47) ab interpolatore additum esse censet, nullam offensionem praebet, si solos vv. 322—327 respicimus. Nam si Lambino auctore (cf. Stuerenb. l. c.) eum cum duobus qui sequuntur vv. coniungimus, duae sunt versuum 322—327 partes: prior (322—324) res paulatim crescentes, altera (325—327) res quae paulatim minuuntur tractat. Posterior pars rursus subdividitur in duas partes, quarum prior de rebus organicis — errat Neumannus Briegerum l. c. vv. 322—325 de animantibus tantum agi dixisse putans, dixit potius de organicis agi, idque prorsus recte; nam quis res anorganicas „aevo macieque senescere“ dicet? certe Lucretius v. 319 vocabulo minui usus est — altera de rebus anorganicis est. Hoc unum alicui offensioni esse possit, quod versuum 325—327 prior sententia generalis, altera singularis est. Hanc inconcinnitatem apud prosarium quidem scriptorem vituperaremus, poetae vero, quippe qui res concretas abstractis praeferat, magno vitio non vertemus.

Deinde quod Neumannus Lucretium vv. 322—327 ea comprehendere dicit, quae antea singulis exemplis demonstraverit, verum non est. Nam ubi sunt ea exempla quibus corpora a rebus paulatim crescentibus accepta cerni non posse

dictum sit? Praeterea monendum est particulam postremo in initio enunciationis positam apud Lucretium serper nova argumenta ducere et enumerativam vim habere, numquam collectivam cf. I, 208, 250, 384, 891; II, 371, 834; IV, 96; V, 584 (aetheris ignes, de quibus hoc v. agitur, solem et lunam non complectuntur); V, 1054, 1076; VI, 417, 631.

Unum autem Briegero et Neumanno facile concedo: offensioni esse, quod alia multa exempla ad eandem rem spectantia alio loco (311—321) inveniuntur, a quibus hoc unum prorsus seiunctum est. Quaerendum igitur est, quomodo hoc vitium ortum esse possit, et qua medendi ratione utendum videatur.

Lucretius vv. 305—310 de umoris corporibus dicit, quae in vestibus in fluviorum litore suspensis haereant, ex vestibus in sole dispansis aufugiant. His igitur vv. agitur et de aditu et de abitu corporum, qui brevi tempore fiunt et statim cognoscuntur, etiamsi corpora ipsa quae adveniunt et abeunt cerni mon possunt. Versibus autem 311—321 de abitu tantum corporum agitur et de tali abitu qui paulatim fit et post longum demum temporis spatium cognosci potest. Itaque argumenta versuum 305—310 et vv. 311—321 satis diversa sunt. Eadem vero res, quae vv. 311—321, etiam vv. 325—327 tractatur. Itaque quin illi cum his coniungendi et post v. 327 collocandi sint, non dubito. Sed cum illi falso loco positi sint, eos postea a Lucretio additos esse admodum verisimile est. Id porro nullo alio consilio factum videtur, quam ut pro versus 326 uno exemplo complura substituerentur. Itaque v. 326 uncis includendus erit.

Totius de caecis corporibus capitis argumentorum ordo hic est: 1) principio 271—297. 2) tum porro 298—304. 3) denique 305—310. 4) A. postremo 322—324. 4) B. a) nec porro 325, 327; b) quin etiam 311—321.

I, 370—397.

Quomodo vv. 384—397 explicandi sint, Stuerenburgus pag. 391 docet. Sed falso loco positi sunt. Nam si revera Lucretius quemadmodum vv. 370—383 sic etiam his refutationem adversariorum contineri voluisset, ad alteram huius

refutationis partem ducendam particula postremo usus non esset. Praeterea refutationem suam contra eos tantum expressis verbis convertit, qui originem motus aliter atque ipse explicare velint; versibus 384—397, quibus, quid post motum fiat, exponitur, non ab initio contra eos se convertit qui a se dissentiant, sed quasi praeteriens eorum sententiam reicit magis quam refutat.

Itaque vv. 384—397 cum vv. 370—383 arctius coniungendos non esse sed per se stare eodem modo atque argumenta versuum 335—345, 346—357, 358—369 apparet. Nunc autem versuum 370—383 sententia neque ita comparata est, ut cum versuum 345—369 summa, neque ita, ut cum versuum 358—369 argumento arctius cohaereat quam cum versuum 384—397 argumento. Itaque versus 370—383 seriem argumentorum particulis denique (358) et postremo (384) definitam interrumpere non debent; nam ubi de compluribus eiusdem ordinis argumentis agitur, Lucretius aut una tantum harum particularum uti solet aut denique ad paenultimum postremo ad ultimum argumentum ducendum usurpat: cf. I, 199 et 208, 238 et 250, V, 1071 et 1076, quibns locis unum praeterea addendum videri dicam ad VI, 400—403. Versus igitur 384—397 post v. 369 collandi sunt.

Vv. autem 370—383 aut, cum eandem rem tractent atque vv. 335—345, v. 345 excipere debent, aut, cum refutationem contineant, in fine totius argumentationis i. e. post 397 locum suum habent. Atque Lucretium hoc posterius voluisse propter vv. 398 seqq. putaverim, qui optime hanc refutationem excipiunt; quodammodo poeta v. 393 ad primum argumentum redierat; itaque si sententiae adversariae refutandae occasionem antea praetermiserat, ea nunc denuo se ei offerebat.

I, 511—539.

De eius argumentationis, qua Lucretius primordia solido atque aeterno corpore coustare demonstrat, singulis argumentis ordinandis cum graviora non habeam, quibus Stuerenburgi sententiam (l. c. pag. 398 sequ.) aut infringam aut confirmem; statim ad eos huius argumentationis vv. transire liceat, de

quibus certiora mihi videar afferre posse, versus dico 518, 519, 531, quos Stuerenburgus pag. 425 seqq. ab interpolatore profectos esse demonstrare studuit.

Ac primum quidem de versu 531:

id quod iam supra tibi paulo ostendimus ante

duabus imprimis de causis suspicionem movet: primum quod Lucretius, si res iam antea demonstratas citat, numquam argumenta ipsa addit. Deinde nullum omnino ante v. 520 exstare locum demonstrat, ubi primordia propter soliditatem aeterna esse demonstretur. Eum, qui scripserit v. 531, de versibus tantum 518 et 519 cogitare potuisse, qui et ipsi ab interpolatore profecti sint et primordia propter soliditatem aeterna esse non demonstrent sed affirment tantum. His causis denique accedere, quod Lucretius reliquis locis, ubi idem aut similis v. inveniatur, scripserit supera, hoc loco codd. exhibeant supra.

Priores duae causae certe admodum graves sunt, neque tamen propter eas necessario v. 531 interpolatori tribuendus est; sed cum permultis locis vv. Lucretiani falso loco positi sint, cogitari etiam potest vv. 532—539 ex alio (ante v. 520) loco hic irrepsisse, et hunc ipsum locum esse eum, quem Lucretius v. 531 in lectoris animum revocare voluerit. Eum, ubi vv. 532—539 desiderentur, locum post v. 519 esse statim apparebit.

Transeamus igitur ad vv. 518 et 519:

materies igitur solido quae corpore constat
esse aeterna potest, cum cetera dissoluantur,

quos Stuerenburgus his de causis spurios esse putat: primum falsam esse horum vv. conclusionem; nam ex praemissis, quae contineantur vv. 513—515 et 516 et 517, nihil aliud concludi posse quam: primordia solida ac sine inani esse; hanc autem conclusionem post v. 517 deesse posse, cum poeta vv. 511 et 512 huius argumenti summam iam dederit. Deinde Lucretium scribere non potuisse: aeterna esse potest, sed scribendum fuisse ut v. 539: sit aeterna necessest. Denique materiam ceteris i. e. eis, quae e materie concilientur, opponi non posse.

Suo iure Stuerenburgus in verbis cetera dissoluantur offendit. Eadem verba Bockemuellero quoque offensioni fuerunt; sed quod scribit: cetera dissoluatur, vitium mutat, non tollit. Omnis enim materies ex Lucretii sententia solida est, etiam ea quae concilium iniit; corpora tantum, quae materiae concilio orta sunt, vel materiae concilium inane in se cohibet. Bockemuelleri igitur coniectura reicienda illa quidem est, sed alia non admodum difficili mutatione huic mendo mederi possumus coetus pro cetera sribentes; coetus enim vocabulum apud Lucretium synonymum est verbi concilium; ex multis, quibus id probatur, locis paucos affere satis erit:

I, 775: in coetu = in concilio v. 772.
II, 920: coeto concilioque.
I, 1017: nam dispulsa suo de coetu materai
copia ferretur magnum per inane soluta.
I, 1047: principiis rerum spatium tempusque fugai
lagiri, ut possint a coetu libera ferri.

Inter materiem ipsam et coetum materiai distinguitur II, 1002 seq.:

nec si interimit mors res, ut materiai
corpora conficiat, sed coetum dissupat ollis.

Deinde quod Lucretius dicit: „materies esse aeterna potest", in his verbis eum hanc inesse sententiam voluisse putaverim: sententiae meae, qua materiem aeternam esse dico, iam nihil obstat."

Dissolutis igitur, quae in singulis verbis offensioni esse possint, ad nexum sententiarum accedamus. Ad eam, quae vv. 518 et 519 proponitur, conclusionem efficiendam duo vel potius tria praemissa neccessaria sunt: 1a) materies ipsa sine inani est, 1b) materiae concilium inane cohibet, 2) quod sine inani est, deleri non potest. Horum praemissorum priora (1a et 1b) iam in vv. 511—517 insunt, quibus primordia solida esse demonstrari Stuerenburgus recte exposuit. Tertium praemissum (2), si antea iam expositum esset, quod sine inani est deleri non posse, prorsus deesse posset; quod cum factum non sit, eo vix carere possumus. Unde vero arcessendum sit, iam scimus; vv. enim 532—537,

quos, si v. 531 genuinus est, falso loco positos esse vidimus, id praestant, quod hoc loco postulatur. Transponendi igitur sunt et post v. 519 collocandi. Cum his coniungendi sunt vv. 538 et 539, quippe qui huius argumenti clausulam contineant.

Falsa versuum 532—539 collocatio forsitan inde orta sit, quod Lucretius duobus argumentis (503—510 et 511—519, 532—539) antea scriptis postea tertium addidit, (520—531) quod primus editor falso loco inseruit.

I, 657—662.

In his versibus, ut in editionibus leguntur:

sed quia multa sibi cernunt contraria (amussim)
et fugitant in rebus inane reliquere purum,
ardua dum metuunt, amittunt vera viai,
nec rursum cernunt exemplo rebus inani
omnia denseri . . .

perversa haec sententia, etsi paullum recondita, tamen inest: „quia in rebus inane relinquere purum fugitant, non cernunt exemplo rebus inani omnia denseri.“ Praeterea verbum, quod v. 660 legitur: „rursus“ omnino non habet, cui oppositum sit. His mendis medendum est versu 658 post 659 ponendo, ut haec sententia exsistat: „ardua metuentes veram viam amittunt et inane in rebus concedere non audent; neque vero vident propter id ipsum, quod omnia stipata esse putant, quod consequi volunt, fieri non posse, i. e. ut ignis denseatur et rarefiat. Unum igitur vitium fugientes rursus in aliud idque maius vitium incidunt.“

II, 529—531.

De variis quas homines docti de his vv. protulerunt sententiis cf. Pollium Phil. 26, 318 et Hoerschelmannum obss. pag. 17. Hoerschelmannus ipse eos ante v. 569 collocandos esse putabat, quam sententiam refutavit Briegerus ann. phil. 111, 616. Addenda denique est sententia Neumanni (pag.

27) qui post v. 528 unum versum excidisse putat huiuscemodi:

quapropter simili quae sunt perfecta figura.

Ut certum judicium ferre possimus, ex re erit singulas sententias earumque nexum inde a v. 522 usque ad v. 568 accuratius examinare.

Ac primum quidem quod ad ipsos vv. 529—531 attinet, verba ex infinito non, ut Munro et Hoerschelmannus l. c. volunt, de tempore, sed potius de spatio intellegenda videntur esse. Promittit Lucretius se ostenturum esse summam rerum conservari primordiis ex infinito spatio suppetidantibus protelo plagarum undique continuato. Sumit igitur summam quandam rerum finitam esse; et hanc summam teneri non posse demonstrare vult, nisi primordia extra hanc summam sint numero infinita, quae suborta, quominus illa pereat, impediant.

Nunc iam ad vv. 532—568 transeamus. Lucretium vv. 541—568 demonstrare velle ad unam rem creandam cuiusvis primordiorum, ex quibus ea res constet, generis infinitam multitudinem necessariam esse patet ex clausula vv. 567 et 568:

esse igitur genere in quovis primordia rerum
infinita palam est, unde omnia suppeditantur.

Neque vero prorsus perspicuum est, quomodo ex vv. 541—566 haec conclusio deducta sit. Minus accurata huius argumentationis conditio in duabus rebus posita esse potest. Si Lucretius vv. 541—566 demonstrare tantum voluit ad unam rem creandam materiae copiam infinitam necessariam esse, hi vv. eorum quae ad conclusionem versuum 567—568 necessaria sunt praemissorum unum tantum continent, alterum deest et cogitatione addendum est: „genera primordium ex quibus una res constant finita sunt.“ Sed cogitari etiam potest Lucretium versibus 541—566 statim demonstrare voluisse in singulis unius rei materiae generibus infinita esse primordia. Quod si voluit, in his vv. haec sententia inesse debet: „si unius rei primordiorum generum unum finitum est, huius generis ea quae ad rem creandam necessaria sunt primordia conciliari non possunt, ideoque res omnino creari non potest.

Haec si Lucretii sententia fuit, minus accurate eum versu 544:

infinita tamen nisi erit vis materiai

ea quae cogitavit protulisse iudicandum est; dicendum enim potius erat: „nisi singulorum generum materiae, ex qua res constat, infinita sunt primordia.“ Versus autem 560—561:

sic tibi si finita semel primordia quaedam
constitues

et v. 547 in codd. sic traditus:

quippe etenim sumant oculi finita per omne

ei, quam dixi, sententiae minus obstant. Illic enim verba quaedam primordia ita accipi possunt, ut unius generis primordia significent; v. autem 547, cum corruptus traditus sit, sic fortasse scribi possit:

quippe etenim sumas quaedam finita per omne.

Sed in quacunque re huius argumentationis vitium vel minus accurata condicio posita est, certe versuum 541—568 summam sic comprehendere possumus: etiamsi concedam generis cuiusdam unam rem solam toto terrarum orbe exstare, tamen cuiusvis generis primordia infinita esse debent. Quod hos versus praecedere debeat, facile est dictu: Lucretius antea exposuisse debet, unius cuiusvis generis rerum cum permagnus esset numerus, cuiusvis generis primordia infinita esse. Haec autem sententia non tota inest in vv. 532—540, sed pars tantum, qua cuiusvis generum rerum permulta esse exempla probetur. Itaque ante v. 532 nonnulla exciderunt; atque hoc eo magis sumendum est, quod v. 532 sqq. afferuntur, quae adversa ex parte opponi possint, nemo autem ad ea quae ex adverso dici possint refutanda transire potest, priusquam id contendit, contra quod aliquid obici possit.

Versuum denique 522—528 argumentum satis perspicuum est: „si distantia formarum finita est et unius cuiusque generis primordia etiam finita sunt, summa materiae infinita est, itaque cum distantia formarum finita sit, in unoquoque genere infinita esse primordia necesse est. Hoc autem argumentum v. 528 (vel Munronis coniectura accepta v. 531) finitum est.“ Itaque etiamsi ea quae propter v. 532 sqq. necessaria videtur sententia, qua Lucretius permagnum esse in

quovis rerum genere numerum demonstret — etiamsi hac carere possemus, tamen ante v. 532 lacuna statuenda esset. Neque enim duo argumenta eiusdem ordinis particula nam inter se coniungi possunt. Haec lacuna in hunc fere modum expleri possit:

Praetera cur tanta potest vis esse animantum
quovis in genere et numerus paene innumeralis?

Ex eis, quae adhuc disputata sunt, manifestum erit vv. 529—531 cum eis quae sequuntur neque sic ut traditi sunt neque versu Neumanniano assumpto coniungi posse. Cur Munronis quoque coniectura minus accipienda videretur, Briegerus Phil. 24, 449 exposuit. Sed aliter atque Briegerus explicare velim, quomodo hi vv. in hunc locum pervenerint. Nam quod eos fortasse a Lucretio ad I, 953 sqq. margini adscriptos fuisse et casu aliquo huc irrepsisse putat, satis id verisimile non est. Nam versuum, qui tam longe a suo loco aberraverint, quin etiam in alienum librum pervenerint, nullum aliud apud Lucretium exemplum exstat; praeterea cum eam quae ante v. 532 statuenda est lacunam a Lucretio expletam fuisse judicandum sit, non intellegitur, qua re quis permotus esse possit, ut hos vv. in hunc locum deferret. Sed cum in libro I — ut statim exponam — lacuna exstet, quae ex parte his vv. expleri posse videatur; cum praeterea facile fieri potuerit, ut interpolator quidam hos vv. margini adscriberet eo consilio, ut, quem locum Lucretius verbis id quod non esse probavi ante oculos habuisset, significaret; cum denique valde verisimile sit ea quae ante v. 532 desiderantur excidisse versibus spuriis irrepentibus: persuasum mihi est vv. 529—531 hoc loco ab interpolatore profectos esse.

Is autem locus libri I, quo eos a Lucretio scriptos esse puto, inter v. 1013 et v. 1014 est, ubi lacunam exstare iam diu cognitum est. Hoerschelmannus obss. alt. 1877 pag. 20 sqq. demonstravit Lucretium v. 1012 ad quaestionem bipertitam transisse, cuius priore parte, si infinita esset materies, inane finitum esse non posse, altera parte, si spatium infinitum esset, materiem finitam esse non posse demonstraret. Prior pars tota et alterius partis initium interciderunt. Putaverim autem Lucretium hac altera parte non simpliciter

quaesivisse, num in spatio infinito materies finita esse posset, sed iam hoc loco cum contra Stoicorum sententiam[1]), qua summam rerum sive mundum finitum et extra hanc rerum summam nihil nisi inane infinitum esse docebant, se convertisse et demonstrare studuisse etiam extra hanc summam rerum in infinito spatio materiem eamque infinitam esse debere. Sive illa sive hac via progressus est, versibus I, 1014—1051 pariter uti potuit. Hanc eum sumpsisse viam ut censeam, adducor versu 1052 sqq. Nam si antea de Stoicis sermo nondum fuerat, eum v. 1053 aut Stoicorum nomen appellaturum aut certe ad verbum „dicunt" vocabulum „quidam" appositurum fuisse putaverim, cf. I, 371, II, 165, V, 320. Quod si recte iam vv. 1014—1051 de Stoicis refutandis agi dico, Lucretius ad hanc argumentationem proponendam perbene uti potuit vv. II, 529—531 sententia Stoicorum paucis exposita sic fere pergens: „contra quos" vel „quorum ratio quam perversa sit, ut pervideas — suavidicis potius quam multis versibus ostendam corpuscula materiai etc." Deinde post v. II, 532 sic fere pergendum erat: „quod si praeter hanc summam rerum in infinito spatio nulla esset materies, nec mare nec tellus neque caeli lucida templa etc."

II, 652—660.

Munro vv. 652—654 post v. 660 posuit, et ad hanc transpositionem ipse haec adnotavit: „the itaque of 661 manyfestly refers to them; so that if they are to keep their place then, (what comes to much the same thing) 652—657 (= 655—660 B.) must be enclosed in brackets as a subsequent marginal addition of the poet's." Ac certe vv. 655—660 uncis potius includendi quam transponendi sunt. Nexus enim sententiarum hic esse debet: „Quae a poetis ad terram deum hominumque matrem celebrandam cantata sunt, bene quidem et eximie inventa neque tamen vera sunt. Omnis enim deorum natura a rebus humanis longe semota est, terra autem dea omnino non est." Itaque a v. 651 statim ad v. 652 progrediendum esse apparet. Praeterea post vv. 655—660, qui-

---

[1]) cf. Diog. L. VII, 140.

bus Lucretius eum, qui terrarum orbem non proprio nomine sed deum matrem appellare velit, ut turpi religione animum contingere parcat, adhortatur, pergi non potest sententia adversativa:

terra quidem vero caret omni tempore sensu;

sed sententia causali opus erat. Denique verbum hic v. 655 ante vv. 652—654 intelligi omnino non potest.

II, 1133—1149.

Hoerschelmannus obss. pag. 24, cui Briegerus (Burs. 1876, II, 185) assensus est, non solum Goebelii (quaest. pag. 33) sententiam, qua vv. 1146—1149 post v. 1138 ponendos esse putat, comprobat, sed etiam v. 1141 loco movendum et inter 1138 et 1146 ponendum esse censet. Neutra in re prorsus ei assentiri possum.

Nam primum si vv. 1146—1149 ita ut Hoerschelmannus vult collocantur, nihil afferunt novi, quod ad argumentationem ipsam ullius momenti sit; vv. 1146 et 1147 aperte tantum ea eloquuntur, quae inde a v. 1125 iam tacite sumpta sunt, vv. autem 1148—1149 nihil continent nisi molestam repetitionem eorum quae iam vv. 1136—1138 exposita sunt. Idem fere contra Boeckemuellerum dicendum est, qui hos vv. post 1143 collocat, propterea quod mortis magis quam virium deminutionis causam contineant. Prorsus aliter res se habet his versibus, quo traditi sunt, loco retentis. Lucretius cum mundum nostrum periturum esse demonstraturus sit, vv. 1118—1143 condiciones exponit, quibus omnes res crescant et ad extremum crescendi finem perductae decrescant et postremo plane pereant; deinde vv. 1144—1149 ea, quae in universum de omnibus rebus disputavit, ad mundum nostrum adhibet et accuratius explicat, cur ea, quae de omnibus rebus dixerit, de toto quoque mundo valeant; neque sine causa vocabulum omnia vv. 1146 et 1147 repetitum est.

Deinde quod ad v. 1141 attinet, Hoerschelmannus certe rectissime cum post v. 1138 collocavit, sed minus videtur ille v. transponendus quam 1139 et 1140. Quos si post v. 1143 ponimus:

1136 nec facile in venas cibus omnis diditur ei;
nec satis est, pro quam largos exaestuat aestus,
unde queat tantum suboriri ac subpeditare,
1141 quandoquidem grandi cibus aero denique defit;
nec tuditantia rem cessant extrinsecus ullam
corpora conficere et plagis infesta domare.
1139 iure igitur pereunt cum rarefacta fluendo
sunt et cum externis succumbunt omnia plagis;

duplex offensio tollitur, primum quod tertia causa, cur res frangantur, in conclusione tantum commemoratur, deinde quod res prius externis plagis succumbere quam confici et domari dicuntur.

Conclusio (vv. 1139 et 1140) postea a Lucretio addita esse videtur. Idem forsitan de conclusione iudicandum sit, quae continetur versibus III, 689—695; hi enim vv. in codd. post v. 683 leguntur. Etiam clausula versuum I, 205—207 a Lucretio olim scriptis videtur addita esse. Nam Stuerenburgus (Acta soc. phil. Lips. II, 389), qui hos vv. post v. 214 collocandos esse recte demonstravit, in eo tamen erravit, quod vv. 208—214 postea scriptos esse putat; nam — ut Stuerenburgus ipse recte exposuit — vv. 205—207 versum 214 aptius excipiunt quam vv. 199—204, cum magis ad plantarum et arborum cultum quam ad genus humanum respiciant. Itaque quin vv. 205—207 post vv. 208—214 scripti sint, dubitandum non est.

III, 791, 803.

Christius (quaest. Lucr. pag. 20) vv. 803 et 791 post v. 799 posuit:

798 quippe etenim mortale aeterno iungere et una
consentire putare et fungi mutua posse,

803 *iunctum in concilio saevas tolerare procellas,*
791 *tandem in eodem homine atque in eodem vase manere*
800 *desiperest.*

Quam transpositionem Pollius Phil. 26, 334 firmissimam esse putat.

Sed, si quid video, haec sic construenda essent: „Desiperest mortale cum aeterno jungere et putare mortale una cum aeterno consentire et fungi mutua posse, mortale cum aeterno iunctum saevas tolerare porcellas etc." Itaque Christius, qui in tradito ordine propterea offendit, quod *mortale cum immortali conjuntum saevas porcellas sustinere* dicitur, in idem vitium, quod evitare voluit, ipse recidit. Ferri quodammodo possit, ut ad verba *et una consentire putare* etc. suppleatur *mortale et aeternum.* Sed tum versus 791 sententia non minus perversa est. Quomodo autem ex vv. 798 et 799 ad. vv. 803 et 791 verbum „aeternum" suppleri possit, equidem non video; atque etiamsi posset, tamen res male procederet. Nam vv. 798 et 799 de mortali et immortali in universum agitur, v. autem 791 de immortali animo, qui in mortali corpore sit. Itaque ad hunc v. notione *animi* careri non potest; neque enim quaeritur, num quodvis immortale in mortali corpore possit manere, sed num immortalis animus.

Quod ad v. 803 attinet, Briegero (Phil. 27, 54) assentiendum erit, qui ante eum nonnulla excidisse iudicat. Versum autem 791 a loco, quo traditus est, alienissimum esse, Christio prorsus assentior; nam quod Bockemuellerus coniecit, *maneret* pro *manere*, ne id quidem sententiam satis bonam reddere videtur. Itaque donec aliquis coniecturam magis probabilem proposuerit, equidem versum uncis includendum esse putabo.

III, 860—867.

Bockemuellerus recte vidit hos vv. cum eis, quae proxime praecedunt, coniungi non posse et post v. 844 eos posuit. Cuius transpositionis rationem Briegerus (Bursian. 1876, II,

158) perspicuam eam quidem esse dicit, sed v. 845 sqq. a vv. 841—844 seiungendos non esse. Aptius illos vv. iam post v. 840 collocari potuisse. Ac certe in hunc locum eos transponendos esse putarem, si quid sibi vellet verbum ipse (v. 861) satis perspicuum esset. Propter quod verbum ego proposuerim eos post v. 849 ponere: misere si futurum est, cui male accidere possit, is ipse esse debet, non solum eius animus vel aliquis, qui ex eadem materie constat.

Versibus sic collocatis offensioni esse non potest, quod, cum v. 848 in universum dictum sit mortem nihil ad nos pertinere, v. 860 sqq. de malis tantum in morte timendis sermo est; Lucretius enim, si quaeritur, num post mortem aliquid nobis accidere possit, statim de malis cogitat, quae accidere possint.

Res, quae vv. 860—867 animi ratione demonstrata est, v. 850 sqq. argumento ex usu et experientia desumpto confirmatur, et v. 850 codicum lectione „et" pro qua Susemihlus Phil. 27, 55 coniecit „ut" retenta sic pergitur: „etiam nunc nihil ad nos de nobis attinet, antea qui fuimus."

III, 1071—1073.

Susemihlus Phil. 27, 57 recte exponit hos vv. falso loco collocatos et ita eis utendum esse, ut causam afferant, cur vitam ducendo de aeternae mortis tempore nihil demere possimus. Neque vero recte post v. 1092 eos collavit. Nam vv. 1088—1092, qui in eadem sententia versantur atque vv. 1085—1087, conclusiones continent quae ex praemisso versuum 1085—1087 deductae sunt. Itaque vv. 1071—1073 cum v. 1087 coniungendos esse apparet:

1085 nec prorsum vitam ducendo demimus hilum
tempore de mortis nec delibare valemus,
quo minus esse diu possimus forte perempti,
1071 temporis aeterni quoniam, non unius horae
ambigitur status, in quo sit mortalibus omnis

aetas post mortem quae restat cumque manenda.
1088 *proinde licet quotvis vivendo condere saecla* etc.

IV, 68 et 69.

Lucretius vv. 52—67 exponit, cum in rebus apertis multae res corpora mittant partim diffusa solute partim magis contexta, tenues quoque imagines summo de corpore rerum mitti debere; nam ea quae tenuia sint facilius mitti posse quam quae graviora sint; et in summis rebus corpora multa minuta esse, quae eodem ordine jaci possint, quo fuerint. His versus 68 et 69:

et multo citius quanto minus indupediri
pauca queunt et quae sunt prima fronte locata

minus apte subiunguntur. Nam primum admodum durum est, quod ad verba: *et multo citius* non ex ultima sententia: *et formai servare figuram*, sed ex ea quae hanc antecedit: *iaci quae possint ordine eodem quo fuerint* supplenda sunt verba: *iaci quae possint*. Ea quae praeterea ad verba *multo citius* supplenda sunt verba: *quam corpora quae in rebus apertis mittuntur* — ne haec quidem satis facile cogitatione adduntur. Deinde satis mire dictum est corpora *multa* minuta citius iaci, quanto minus indupediri *pauca queant*. Praeterea quae in versibus 68 et 69 inest sententia ex parte repetitio tantum est sententiae vv. 63 et 64 iam propositae. Neque enim versibus 68 et 69 de celeritate agitur qua imagines ab rebus iam separatae utantur, sed de facilitate, qua ab rebus abscedere possint. Itaque verbis: *multo citius quanto minus indupediri pauca queunt* idem fere expressum est atque vv. 63 et 64. Denique versuum, de quibus agimus, in eis quae sequuntur (vv. 70—81) nulla ratio habetur; his potius id tantum demonstratur, quod Lucretius vv. 65—67 contendit: esse in summis rebus corpora multa minuta, quae eodem ordine iaci possint.

Quae cum ita sint, persuasum mihi est versus 68 et 69 falso loco positos esse; videntur cum vv. 61—62 coniungendi et uncis includendi esse:

61 quae quoniam fiunt, tenius quoque debet imago
ab rebus mitti summo de corpore rerum,
68 [et multo citius quanto minus indupediri
pauca queunt et quae sunt prima fronte locata].

IV, 85—87.

Vv. 85—87:

sunt igitur iam formarum vestigia certa
quae volgo volitant suptili praedita filo
nec singillatim possunt secreta videri,

ante v. 82 collocandi sunt. Mimime enim Epicurei ea certa dicere solent, quae mera conclusione invenerunt. Itaque hoc loco non cuiusvis rei imagines certae dici possunt, sed effigies tantum, ex quibus color a velis missus constant. Hunc enim oculis cernimus. Praeterea omnino non intellegitur, cur hoc loco cuiusvis rei imagines singillatim cerni non posse dicantur; prorsus enim in dubio relinquitur, utrum quemadmodum coloris membranae sic etiam omnium rerum imagines certis quibusdam condicionibus percipi possint necne. Contra si vv. 85—87 de coloris a velis missi membranis singulis agitur, omnia perspicua sunt. Colorem enim in theatris cernimus, singulas eius membranas non conspicimus.

IV, 187.

Versum 187 qui in codd. post v. 200 legitur:

200 per totum caeli spatium diffundere sese
187 perque volare mare ac terras caelumque rigare

alterius recensionis esse et uncis esse includendum, Susemihlo (Philol. 29, 438) prorsus assentior. Lucretius eo tempore, quo scripsit V, 593:

quod maria ac terras omnis caelumque rigando,

cum huius loci ei in mentem venisset, eum addidisse videtur

idque eo consilio, ut cum versu 200 eum coniungeret; quod facile fieri potuit versu 200 paulum mutato velut mundi in locum caeli substituto.

IV, 184, 203.

Versus 184 non solum moleste inter vv. 183 et 185 intercedit, sed hoc loco ferri omnino non potest. Nam cum vv. 181 et 182 haec legantur:

principio persaepe levis res atque minutis
corporibus factas celeris licet esse videre,

sententia versus 183:

in quo iam genere est solis lux ac vapor eius

non esse potest: in genere earum rerum quae celeres sunt, est solis lux et vapor eius“, sed haec esse debet: „in genere earum rerum, quae leves atque minutis corporibus factae celeres sunt, etiam solis lux et vapor sunt.“ Itaque v. 184 falso loco positus est. Coniungendus est cum v. 203, qui suo loco (post v. 196) reddendus est:

194 deinde quod usque adeo textura praedita rara
mittuntur, facile ut quavis penetrare queant se[1])
et quasi permanare per aeris intervallum;
203 quod superest, ubi tam volucri levitate ferantur,
184 propter quia sunt e primis facta minutis.

Quae in his et quattuor qui eos praecedunt versibus summae imaginum celeritatis afferuntur causae inverso ordine prorsus respondent eis causis, quibus solis lucem et vaporem summa celeritate ferri versibus 181—189 exponitur.

Cum hoc modo mendorum, quae in illis versibus inesse cum alii tum Susemihlus et Briegerus (Philol. 29, 43 sqq.) recte demonstrarunt, gravissimum sustulerimus, hoc unum ad prorsus eos emendandos restare videtur, ut v. 192 pro verbo parvolo, quod Susemihlus l. c. ferri non posse demonstra-

---

[1]) „quavis penetrare queant se“ ex coniectura Briegeri (Phil. 29, 437) pro „quavis penetrare queant res“.

vit, verbum substituatur, quod perpetuitatem vel continuitatem significet. Cogitavi fortasse scribendum esse sedula; sed nescio, num prorsus ei quae requiritur sententiae satisfaciat.

IV, 239.

Quomodo v. 239 cum vv. 240 et 241 coniungi possit, cum nemo adhuc in eo haeserit, diu mecum reputavi, sed frustra. Neque enim intellego, quomodo dici possit omnes res ibi, quo oculos convertamus, nobis apparere propterea quia solis oculis cernere possimus. Nonne potius dicendum erat: „ibi tantum“ vel „ex ea parte sola, in quam speciem vertimus, nobis res apparent?“ neque dicendum erat „omnes res“ sed simpliciter „res.“ A versu 238 statim ad v. 240 progrediendum est: quoniam simulacra undique et in omnes partes iaciuntur, propterea, in quam partem oculos convertimus, omnes quae ibi sunt res nobis apparent; si non undique iacerentur imagines, fieri posset, ut ex parte aliqua, in quam speciem vertimus, nullae omnino res nobis apparerent; et si non in omnes partes simulacra mitterentur, fieri posset, ut res in partes tantum a nobis aversas simulacra mitterent ideoque a nobis percipi non possent. V. 239 postea a Lucretio additus esse videtur, et haec sententia supplenda est: „uno eodemque tempore unius tantum partis res a nobis percipi possunt;“ fortasse post v. 241 locum habeat:

237 Nunc ea quae dico rerum simulacra feruntur
undique et in cunctas iaciuntur didita partis:
240 propterea fit, uti, speciem quo vertimus, omnes
res ibi eam contra feriant forma atque colore;
239 [verum nos oculis quia solis cernere quimus,
. . . .]

IV, 254—266.

Versibus 228—253 Lucretius demonstrare studet imagines efficere, primum ut omnino res cernere possimus (vv. 218—236), deinde ut quo speciem vertamus omnes ibi res nobis appareant (vv. 237—241), denique ut, quantum quaeque res absit, diiudicare possimus (vv. 242—253). Hic rerum ordo tam simplex et tam idoneus est, ut cur Bockemuellerus eum mutaverit, non intellegam, immo tantum abest, ut mutari possit, ut, si traditus non esset, restituendus esset. Quodsi Lucretium v. 238 novae partis initium fecisse verisimile non est, non de transponendo cogitandum est, sed potius ante v. 228 unum certe argumentum excidisse iudicandum est (cf. Susemihl. Phil. 29, pag. 837).

Versus autem 254—266 falso loci positi et post v. 236 collocandi sunt. Nam postquam Lucretius exposuit cernendi causam in imaginibus positam esse, aliquis ei obicere poterat: „at quomodo imagines visum efficere possunt, cum ipsas imagines cernere nequeamus?“ Itaque versus 254—266, quibus ad hanc quaestionem respondetur, versum 236 excipiant necesse est.

IV, 593—612.

Susemihlo (Philol. 32, 486 seqq.); qui vv. 601—606 nihil nisi alteram versuum 561—565 recensionem, versus 607—609 partem alterius versuum 593—602 recensionis esse, vv. denique 610—612 non minus bene versum 600 quam 609 excipere putat, assentiri non possum. Nam versuum 601—609 haec sententia esse videtur: Si versamus in loco muro vel saepe cincto, cuius superior pars aperta est, hoc modo nos audire potest: una vox a nobis emissa vel eius pars ascendit supra saepem, donec eo pervenit, unde a saepe non amplius impedita ad eum, qui foris est, pervenire possit; ibi scinditur in multas partes, et harum partium una vel unius partis pars nequaquam impedita ad eum pervenit, qui extra saepem est. Tali modo loca nobis ipsis abdita vocibus r e t r o profectis complentur. Imago autem a nobis emissa, quae eadem via atque prima illa vox profecta est, cum supra saepem

pervenit, neque in multas imagines se dividit neque alias imagines a se emittit, sed derecta via, ut semel est missa, altius semper in aeris infinitum spatium ascendit, ideoque qui extra saepem est, nos cernere non potest.

Apparet igitur Lucretium vv. 601—606 non eandem rem tractare atque vv. 561—565, sed re ibi exposita ad novam rem demonstrandam uti. Eo quod vv. 601—609 continetur argumento agitur de loco omnibus ex partibus clauso.

Versus autem 610—612 post v. 600 collocandos esse monuisse satis est. Corrigit Lucretius his vv., quod antea minus accurate dixit: vocem per flexa foramina incolumem transire. Haec quam propono transpositio, etiamsi ab argumento versuum 610—612 prorsus discesseris, iam propter verba haec vox (v. 610 et 611) necessaria est; nam v. 609 voces plurali numero inveniuntur, versu autem 597 singularis numerus legitur.

Unum vero reticendum non est. Lucretius vv. 601—609 demonstrare studet, quomodo voces ad loca perveniunt, ad quae oculi cernere non possint, vv. autem 593—595 proponit quaestionem, quomodo voces per loca veniant, per quae oculi cernere non possint. Hoc vitium duobus modis explicari potest: aut Lucretius vv. 601—609 postea addidit — idque licet cogitare, cum vv. 610—612 falso loco legantur —, et vv. 594 et 595 mutare oblitus est, aut vv. 594—595 non satis accurato dicendi genere usus est; quod facile fieri potuit, cum vox, quae extra saepem auditur, per saepem venisse videretur, et ratio demum eam supra saepem venisse doceret.

Commemorandum denique est, v. 609 codicum lectionem saepe (= saepem) eis quae exposui contra Briegerum, qui (Philol. 32, 489) coniecit saepta, defensam esse; pro supra autem cum Lachmanno intra legendum esse, Briegerus (l. c.) fortasse recte iudicaverit; cogitari etiam potest supra esse glossema pro trans.

V, 26—27.

Complurium sententiarum secunda v. 26 ducitur particula denique. Id fieri non posse cum Bockemuellerus recte vidisset, hunc versum sic emendare studuit:

undeque quid Cretae taurus Lernaeaque pestis.

Sed cum id certe Lucretianum non sit, neque omnino versimile sit denique ex alio vocabulo corruptum esse, ego vv. 26 et 27 post versum 36 pono. Denique, quod legitur v. 34, prorsus alia significatione usurpatum est, cf. 424 et 418.

V, 235—323.

V. 235 primum nativitatis et mortalitatis mundi argumentum incipit quod ex nativitate et mortalitate maximorum mundi membrorum, terrae, ignis, aëris, umoris, desumptum est. Singula haec mundi membra nativa et mortalia esse 247—305 demonstratur, in quibus offensioni est, quod quattuor argumentorum alterum ducitur verbis quod superest. Iam Stuerenburgus — qui singulos locos quibus haec verba inveniuntur examinavit — pag. 383 id ferri non posse ratus hominibus doctis commendavit, ut quid hoc loco faciendum esset, viderent. Vahlenius l. c. pag. 488 ei contradixit recte hoc loco quod superest positum esse et iam hoc ipso loco eam quam Stuerenburgus de horum verborum usu statueret legem falsam esse demonstrari arbitratus. Contra ea eiusdem ac Stuerenburgus sententiae fuit Bockemuellerus, qui vv. 261—272 post v. 305 posuit; eique assensus est Briegerus (Bursian. 1876, II, 169). Huic quae in verbis quod superest posita est difficultati accedent aliae, quas praebent eae quae versum 305 sequuntur partes, vv. 306—317 et 318—323. Illam Bockemüllerus solvere studuit versibus 306—317 post v. 260 collocatis; versus autem 318—323, ubi traditi sunt retinuit.

Atque ut primum de versibus 318—323 agam Bocke-

muelleri de eis sententia[1]) duabus imprimis rebus nititur, primum quod codicum lectionem omne (v. 318), quam reliqui omnes editores in omnem mutaverunt, retinet, deinde quod hac interpungendi ratione usus est:

Denique iam tuere hoc: circum supraque quod omne
continet amplexu terram, si procreat ex se etc.

Sed haec interpungendi ratio falsa est propterea quod tuere significare non potest: tecum reputa vel considera, sed significat: animum converte in vel aspice. Vera igitur interpungendi ratio haec est:

Denique iam tuere hoc, circum supraque quod (omne)
continet amplexu terram: si procreat ex se etc.

Deinde non omne sed omnem scribendum esse demonstrat Pacuvii locus (86) a Munrone ad hunc locum allatus, quem Lucretius in conscribendis versibus 318—323 ante oculos habuit et partim verbotenus reddidit. Ibi enim haec leguntur: Hoc vide, circum supraque quod complexu continet Terram ... Id quod nostri caelum memorant, Grai perhibent aethera: Quidquid est hoc, omnia animat format alit auget creat Sepelit recipitque in sese omnia, omniumque idem est pater, Indidemque eadem aeque oriuntur de integro atque eodem occidunt. Ex his apparet Lucretium verbis: circum supraque quod omnem continet amplexu terram, nihil aliud significare voluisse quam aëra, quo totam terram circumdatam esse etiam versibus 537 et 538 dicit:

ex ineunte aevo coniunctam atque uniter aptam
partibus aeriis mundi, quibus insita vivit.

Neque vero in vv. 318—323 inveniuntur, ex quibus concludi

---

[1]) „Für diejenigen, welche eine Zerlegung unserer Welt in die vier besprochenen Elementarkörper nicht statuiren, sondern nur von Erde und einem umfliessenden All sprechen, ist der Beweis in gleicher Weise bindend, da ein Austausch der Körper zwischen All und Erde auch nach ihrer Meinung stattfindet, und damit der Stoffwechsel constatirt ist.“

possit, Lucretium his vv. de sententia eorum agere, qui non sicut ipse totum mundum in quattuor illa maxima membra sed in duas tantum partes dividere velint. Sed si cum vv. 272—280 hos versus comparamus, eos nihil continere apparet quam alteram illorum recensionem. Nam quod ibi exponitur, quodcumque de rebus fluat, id in aëris magnum mare ferri et aëra rursus corpora rebus retribuere, aëra igitur perpetuo gigni de rebus et in res recidere, idem hoc loco exprimitur verbis: si procreat ex se omnia recipitque perempta. Omne quod inter illos et hos versus exstat discrimen, inde tantum ortum est, quod Lucretius in illis conscribendis suo magis ingenio et sua arte usus est; cum hos scripsit, ad Pacuvii verbis quod quidam memorant citati verba accuratius se applicavit.

Nunc si quaerimus, quaenam recensio prior quaenam posterior sit: valde verisimile est eos vv., in quibus componendis Lucretius suis viribus steterit, recentioris aetatis esse. Itaque Lucretium in ultima carminis recensione versus 318—323 deleturum fuisse iudicandum est.

Utrum in reliquis quoque huius argumentationis partibus (251—260, 260—271, 282—305) nonnulla alterius recensionis sint et in aliorum, quae nobis servata non sint, locum substituta, diiudicare non possumus; sed fortasse nobis continget, ut verum harum partium ordinem inveniamus.

Lucretium in priore recensione eam, quae de aëre agit, partem ultimo loco ponere voluisse, ex particula denique (v. 318) conici licet; sed cum v. 273 alio modo transitum sibi paraverit, eum in altera recensioni ei, quae de aëre est, parti alium locum tribuere voluisse iudicandum est. Vv. igitur 273—280 aut ubi nunc leguntur aut post v. 260 ponendi sunt. Illud propterea minus bene fit, quod ea, quae de umore, et ea, quae de igni est, pars quodammodo sibi respondent; quemadmodum enim illic novo semper umore fontes, flumina abundare, eodem modo hic luminis fontem novo semper candore caelum rigare exponitur; deinde utroque loco pariter pergitur, v. 264:

sed primum quicquid aquai
tollitur

et v. 285:

nam primum quicquid fulgoris disperit ei.

Atque propter ipsam hanc responsionem Lucretius v. 281 verbo *item* usus esse videtur, quod numquam apud eum mere enumerativam vim habet; uno tantum loco a propria significatione magis recedit (VI, 948), ubi transponendum esse postea videbimus, v. pag. 41.

Itaque vv. 273—280 post v. 260 collocandos esse putaverim. Ei quem propono partium ordini verba *quod superest* (v. 261) non obstant. Neque enim haec semper eam habent significationem, quam Stuerenburgus l. c., quamvis recte ceteroquin de eis disputaverit, eis vindicavit: *schliesslich*; sed compluribus locis ita tantum accipi possunt, ut significent: *quod attinet ad ea quae restant.* Ea autem quae restant cum ex compluribus partibus constare possint, verba *quod superest* ultimam partem ducere necessarium non est, sed iam antea usurpari possunt. Hoc modo explicandum est, quod V, 64 *quod superest* argumenti libri quinti enarrationem ducunt neque vero omnium quae restant rerum. Itaque versuum V, 64 seqq. sententia haec est: „Quod ad ea attinet quae restant, *nunc* (i. e. libro V.) has res exponam: mundum esse mortalem etc." Pariter iudicandum est de V, 1239, VI, 219 (cf. 423), VI, 979.

Falsa quae in codd. invenitur singulorum membrorum (vv. 261—272, 273—280, 281—305) collocatio inde forsitan orta esse possit, quod primus editor — si tantum diligentiae ei tribuere licet —, cum vv. 273—280 in scheda singulari invenisset, ordinem vv. 235 et 236 observatum secutus sit.

Duabus quaestionibus absolutis tertia restat i. e. de versibus 306—317. Primo quod ex maximorum mundi membrorum nativitate et mortalitate desumptum est argumento v. 305 finito alterum argumentum particula *denique* duci non posse Bockemuellerus recte iudicavit. Praeterea cum, quomodo Lucretius his versibus ad mundi nativitatem et mortalitatem demonstrandam uti voluerit, perspicuum non sit, idem Bockemuellerus eos partes tantum argumenti continere recte censet. Sed ubi eos posuit, post v. 260, locum ibi non habent. Nam Lucretius, postquam vv. 251—256 mortalitatem terrae

demonstravit, nativitatem eius demonstrat v. 257—261. Itaque hoc argumentum finitum esse neque iterum de mortalitate terrae agi posse apparet. Alius autem locus ubi vv. 306—317 collocari possint, non exstat; itaque admodum verisimile videtur Lucretium postea novum argumentum addere voluisse, cuius ultimam hi vv. partem continerent. Hoc argumentum eiusmodi futurum fuisse conici licet, ut Lucretius ex omnium quas cernimus singularium rerum nativitate et mortalitate mundum mortalem et nativum esse concluderet. Simile quidem hoc argumentum eius esset quod praecedit, neque tamen idem.

Nunc si breviter, de vv. 261—325 quae sentiam, comprehendere licet, tali modo sententiam meam significem: I. A. 251—260; B. 273—280 = [318—323]; C. 261—272; D. 281—305; II. A. et B.: lacuna a Lucretio non expleta, C. 306—317.

V, 1089—1102.

Versuum 1089—1138 post v. 1025 collocationem quam Bockemuellerus proposuit falsam esse Briegerus (Bursian. 1876 II, 169) recte monuit. Sed Bockemuellero assentirer, si versus tantum 1089—1102 transposuisset. Nam quamquam post v. 1025 carmini continuo non satis apte videntur inseri posse, tamen, quin a Lucretio huic loco destinati sint, non dubito. Neque enim credo, quod Purmannus quaestt. Laub. II, 18 evincere studuit: Lucretium apte post vv. 1026—1088 ad ignem vv. 1009 et 1013 commemoratum reverti. Ei quam propono transpositioni obstare videtur, quod in codd. v. 1104 legitur r e b u s e t i g n i ideoque Lucretius i g n e m hoc versu aliquo modo commemorasse et sic v. 1103 seqq. cum vv. 1089—1102 coniunxisse videtur. Sed neque quod traditum est e t i g n i neque quod Goebelius qu. pag. 26 coniecit a b i g n i ferri potest. Lucretius enim vv. 1103—1105 sententia generali singulas res comprehendit, quas v. 1106 seqq. tractaturus est; neque vero intellegitur, qui ignis cognitus usus ad eas quae v. 1106 seqq. afferuntur res inveniendas, praesertim ad agrorum et pecoris dividendi inventionem, contulerit. Lachmanno igitur assentiendum est, quod i g n i amovere

voluit; neque vero eius coniectura benigni pro et igni probari potest. In urbibus enim condendis arcibusque locandis benignitatis regum signa conspici non posse recte Bockemuellerus adnotat; et satis dilucide Lucretius v. 1107 addidit praesidium ipsi sibi perfugiumque. Persuasum mihi est Lucretium v. 1104 scripsisse:

commutare novis monstrabant rebu' repertis

et verba et igni ab interpolatore aliquo profecta esse, qui inter novas has res ignem quoque fuisse adnotare vellet.

VI, 102—115.

Vv. 102—107, quibus de natura nubium agitur, nullo modo cum eis qui antecedunt versibus, 96—101, cohaerent. His enim explicatur quomodo tonitrua fiant; et additur tonitrua fieri omnino non posse, si coelum serenum sit, sed denso tantum nubium agmine. Versibus autem 102—107 de corporea natura nubis, de eius materie et contextu disseritur; et nubes cum firmissimis et tenuissimis corporibus conferuntur. Itaque cum vv. 96—101 et vv. 102—107 de diversis rebus agatur, eos particula praeterea coniungi non posse apparet. Hoc vocabulum ex alio verbo corruptum esse verisimile id quidem non est; sed etiamsi coniectura (Bockemuellerus scribit perterebrans) id admovere liceat: res nihilo melius procedit. Nam etiamsi non negaverim Lucretium ad tonitru explicandum aliis nonnullis versibus additis aliquo modo versibus 102—107 uti potuisse, certe, ut nunc sunt, quid ad originem et naturam tonitruum describenda valeant, non intellegitur. Itaque quin falso loco inserti sint, non dubito. Sed priusquam, ubi collocandi sint, quaeramus, quid de versibus 108—115 iudicandum sit, videamus.

Eos cum vv. 102—106 coniungi non posse, non est quod moneam. Quaerendum autem est, num aliquo modo cum vv. 96—101 et 116—120 apte coniungi possunt.

Ac primum quidem cum tonitrus cum aliis rebus comparationem et determinationem localem, quae est in verbis patuli super aequora mundi, contineant, duae sunt rationes, quibus is coniungendi modus, qui positus est in

particula etiam, bene se habere possit: in vv. qui antecedunt aut alia comparatio aut alia determinatio localis inesse debet. Quarum rerum neutra est; neque enim ulla comparatio in vv. 96—101 est, et determinatio localis, quae expressa est verbis sublime volantes aetheriae (v. 97 et 98), eadem fere est atque ea, quae est in verbis patuli super aequora mundi. Apta igitur versuum 96—101 et 102—107 coniunctio non exstat; et quomodo coniunctura effici possit, non video.

Deinde si ad vv. 116—120 nos convertimus et, num cum vv. 108—115 coniungi possint, quaerimus, duae res statim offensioni sunt: primum a Lucretii consuetudine alienum est praemittere tonitrus cum aliis rebus comparationem et tum demum causam et originem exponere; neque enim solum, ubi de tonitribus, sed etiam, ubi de fulguribus et de fulminibus disserit, semper causam primo loco ponit cf. vv. 96, 121, 132, 137, 142, 145, 150, 157; 160, 173, 204, 214; 295, 300, 309; deinde sequuntur exempla per ut, ceu vel alio modo annexa. Praeterea quod vv. 116—120 describitur tonitruum genus, quorum sonum Lucretius dicit aridum esse et diu duci, bene conferri non potest cum eis sonitus generibus, de quibus vv. 114 et 115 sermo est. Nam etiamsi arida ea dici posse concedam, cum huius vocabuli usus prorsus ab gustibus pendeat, certe non diu ducuntur. Sed cum ex hisce rebus certum iudicium facere non possimus, accedamus ad graviora. Omnis enim earum de quibus agimus partium coniunctio coniectura eaque falsa nititur. Verba enim: fit quoque enim interdum ut (v. 116), quae vulgo leguntur pro codicum verbis: fit quoque enim interdum, Lucretii non sunt, quippe qui in similibus formulis vocabulum interdum semper in enunciatione secundaria ponat cf. fit quoque ut interdum IV, 815, 1210; VI, 137, 300, 830, 1040; nam fit ut interdum VI, 426; hoc fit ubi interdum VI, 431. Vera igitur versus 116 lectio restituitur, si pro enim legimus ut:

fit quoque ut interdum non tam concurrere nubes.

Nunc iam apparet vv. 116—120 remotis, quae interposita

sunt, versum 101 excipere: Lucretius postquam de tonitru, quod nubibus concurrentibus nascitur, disseruit, transgreditur ad id tonitrum genus, quod oritur, cum nubes „minus frontibus adversis concurrunt quam de latere eunt diverso motu radentes corpora tractim.“ Atque quemadmodum illud sic etiam hoc genus per se satis dilucidum insuper exemplis ab aliis rebus desumptis illustrari opus non esse duxit.

Nunc si de vv. 102—107 et 108—115 collocandis quaerimus: illi extra carmen continuum scripti sunt. Fortasse Lucretius, cum totam suam de tonitribus et fulminibus disputationem satis certo fundamento carere vidisset, aliam huic disputationi partem praemittere in animo habuit, qua de nubium natura ageret. Vv. 108—115, quod ad sententiam attinet, bene cum vv. 131—136 coniunguntur, quibus tonitrua describuntur, quae ventis nubila perflantibus oriuntur. Ad hoc tonitruum genus explicandum iam unum exemplum vv. 135—136 allatum est, quocum versuum 108—115 exempla bene coniunguntur.

Forma autem versus 108, in quo ad verba d a n t s o n i t u m aliud subiectum supplendum est quam quod v. 136 cum eisdem verbis coniunctum est, non ita comparata est, ut censere possimus, Lucretium vv. 108—115 ita ut sunt post v. 136 collocaturum fuisse. Itaque eos postea scripsisse videtur eo quidem consilio, ut post v. 136 ponerentur, sed eorum, quae iam scripta erant, non satis ratione habita.

VI, 400—403.

Vv. 400—403 loco movendos esse, quamquam Briegerus (Burs. 1876, II, 169) id necessarium non esse dicit, tamen Bockemuellero assentiar. Nam si manent, ubi traditi sunt, vv. 390—403 arctius inter se coniunguntur et longius ab eis quae sequuntur seiunguntur, cur autem vv. 400—403 versuum 390—399 argumento propiores sint quam versus 404—405, non intellegitur. Contrarium certe rectius iudicaveris; nam postquam vv. 399—400 quaesitum est, cur Juppiter telum suum i n t e r r a optundi sineret, aptissime sequitur quaestio, cur i n m a r e mittat. Itaque persuasum mihi est a versu 399 ad versum 404 progrediendum esse. Neque vero cum

Bockemuellero versus 400—403 post versum 405 collocem; neque enim video, cur cum una totius huius argumentationis (379—422) parte arctius coniungantur neque potius ita ponantur, ut peculiare argumentum contineant. Id consequimur, si solitum particularum ordinem, ex quo apud Lucretium postremo ultimum, denique paenultimum argumentum ducit (cf. quae dixi ad I, 370—397), secuti ante v. 417 eos ponimus. Hoc loco etiam propterea bene se habent, quod, cum in versuum 417—422 enunciationibus nomen Jovis sit subjectum quod vocant, in versibus autem 412—516 idem subiectum non sit: ante v. 417 aptissime Jovis nomen ipsum commemoratur, quod, cum idem atque in v. 390 (ipse i. e. pater) subjectum in versuum 404—411 enunciationibus maneat, inde a v. 399 usque ad v. 411 omnino non desideratur.

Omnia quae ad sententiam, quae vv. 387—389 proposita est, refutandam afferuntur, mea sententia in quinque dividenda sunt partes: 1) 390—399, 404—405; 2) praeterea 406—410; 3) et 411—416; 4) denique 400—403; 5) postremo 517—522.

VI, 608—638.

Bockemuolleri versuum 608—638 post v. 711 transpositio vix refutatione eget. Versibus enim 703—711 Lucretius exponit aliquot esse res, quarum complures quidem causae cogitari possint, sed, si fiant, ad unam tantum earum referendae sint. Versibus autem 608—638 complures afferuntur causae quae una et coniunctae efficiant, ut mare non augeatur; utrum vero omnes hae uno eodemque tempore an nonnullae post intervalla tantum una cum ceteris vim suam exhibeant, nihil omnino interest.

Lachmannus de his versibus haec iam recte vidit: cum haec pars particula principio incipiat, eam complurium inter se arctius cohaerentium partium primam esse debere; hanc partium seriem initium a versu 608 capere non posse, cum ea pars, qua de terrae motibus agitur, (vv. 335—607) et ea, qua de Aetnae eruptionibus agitur (vv. 639—702), inter se coniungendae sint; denique recte dixit nullum exstare locum ubi hi versus carminis continuitati apte inseri possent.

Quaerendum autem est, quaenam illa sit rerum series, quarum primam e versibus 608—638 constare Lucretium voluisse iudicandum sit. Briegerus (Burs. 1876, II, 169) recte monuit partitionem rerum libri VI. in „terribilia“ et „mirabilia“, qua Bockemuellerus usus est, nullo Lucretii loco comprobari posse omniaque quae ex ea ad partes ordinandas concluderentur falsa esse. Alia autem rerum libro VI. tractatarum partitio exstat, qua Lucretium usum esse constat et quam ipse in prooemii versu 50 commemorat, partitionem dico in *μετέωρα* et quae in terris fiant mirabilia. Neque quidquam mihi obstare videtur, quominus Lucretium id altera totius libri VI. parte primo loco rem versibus 608—638 tractatam ponere in animo habuisse putemus. Pono igitur eos ante v. 535. Quod si recte fecero, haec fere, quae ad totius libri condicionem spectant, dicenda erunt: Lucretius olim ea quam diximus partitione in libri VI. rerum dispositione usus ille quidem erat, sed expressis verbis eam indicari opus non esse duxit et verbis N u n c a g e ad alteram partem transiit. Postea vero cum scripsit versus 608—638, priusquam ad terrae res tractandas transiret, pauca prioris partis finiendae, alterius praeparandae causa praemittere constituit; haec autem componenda in aliud vel in id tempus distulit, quo ultimam ad totum carmen limam adhibiturus erat.

VI, 777—780.

Hoc versus in codd. falso loco positos esse Bockemuellerus recte vidit, sed ipse quoque falso loco videtur collocasse (post v. 772). Lucretius argumentationem, qua explicet, quomodo fieri possit, ut aves super Averna loca volantes in terram decidant et interficiantur, hoc modo instituit, ut primum in terra primordia diversissima, partim vitalia partim insalubria vel etiam mortifera esse, deinde diversis animalibus singulas res diversis modis aptas esse dicat, tum homini cum multas alias res tum nonnullas, quas terra exhalet, infestas esse doceat. Ex his praemissis quorum primum versibus 769—772, alterum vv. 773—776, tertium vv. 781—817 continetur, concludit (vv. 818 seqq.) e terra res quoque exhalari,

quae, quamquam hominibus non noceant, tamen avibus mortiferae sint.

Itaque cum in primo et secundo praemisso vis sententiae posita sit in diversitae, vv. 777—780 neque post v. 776 neque post v. 772 locum habent. Coniungendi potius sunt cum tertio praemisso et post v. 782 collocandi; quo versu cum de sensu hominis in universum dictum sit, nunc singula sensus enumerantur, quibus res inimicae percipiantur; tum v. 783 Lucretius ad ipsas quae homini infestae sint res tractandas transgreditur.

VI, 948—958.

Vv. 948—950 ab interpolatore profectos esse Neumannus (l. c. pag. 48) vix cuiquam persuadebit. Nam si interpolator exempla Lucretiana augere voluisset, ea certe ex vv. I, 489 496 transcripsisset, non ipse composuisset. Sed recte Neumannus in eo offendit, quod, cum vv. 948—950 frigus et calidum vaporem per aes, aurum, argumentum transire expositum sit, vv. 952 et 953 denuo de frigore et vapore sermo est et nunc, quod penetrent, ferrum commemoratur, quo aes et aurum Lucretii sententia validiora sunt. Hoc vitium tollitur versibus 948—950 post v. 953 collocatis — v. enim 954 cum eis quae sequuntur coniungendus est, cf. Pollium Philol. 26, 538 —. Versibus in hunc ordinem redactis etiam particula item suo iure posita est. Huic transpositioni particula denique v. 951 non obstat; nam cum vv. 948—950 arctissime cum vv. 951—953 cohaereant, versuum 942—953 argumentum bene in tres has partes dividi potest: 1) 942—943; 2) 944—947; 3) 951—953, 948—950. Sed cum in ea quae sequitur pars (vv. 954—958) etiam particula denique ducatur, fortasse non erraverim, si non solum vv. 948—950 sed etiam vv. 954—958 vel 954—957 postea additos et Lucretium particulam denique v. 951 mutare oblitum esse dicam.

VI, 1149—1155.

V. 1151:

omnia tum vero vitai claustra lababant

in apodosi, in qua nunc est, locum non habere videtur; vo-

cabulum enim, quod est *vero*, apud Lucretium nisi vi adversativa non ursurpatur, cf. exempla ab Holtzio pag. 24 collecta, quibus haec addenda sunt: I, 1001; II, 593, 652; IV, 626, 1134. Apparet autem, quod v. 1151 dictum est, id accuratius explicari vv. 1154 et 1155 hominis divisione in animum et corpus facta. Itaque non dubito, quin a v. 1150 ad versum 1152 progrediendum et v. 1151 ante v. 1154 collocandus sit:

1149 inde ubi per fauces pectus complerat et ipsum
morbida vis in cor maestum confluerat aegris,
1152 spiritus ore foras taetrum volvebat odorem,
rancida quo perolent proiecta cadavera ritu,
1151 omnia tum vero vitai claustra lababant,
1154 atque animi prorsum tum vires totius, omne
languebat corpus leti iam limine in ipso.

Index
locorum tractatorum.